

aliquo loco ab immemorabili tempore inferior Prælati omnem omnino jurisdictionalem actum speciem ita solum exhibuerit, ut Episcopus in cuius diocesi locus situs est, toto eo tempore nullam in iis partem habuerit, neque in iis se unquam miscuerit. *De Synod. dioces. lib. 13. c. 8. §. 18. & 21. nov. edit.* Episcopi licet habeant Capitula quantumcumque exempta, possunt per se ipsos sine adjunctis de Capitulo visitare Ecclesiam, Canonicos, & Beneficiatos, ut decisum à S. Congreg. Concilii in quadam causa Zamorensi, quamvis non potest committere hoc munus alteri. *Ibid. c. 9. §. 9. nov. edit.*

52 Si tamen extra visitationem velit contra Canonicum procedere, tenetur duos ex Capitulo Canonicos adjunctos habere, à Capitulo anno quolibet ineunte designandos, qui duo Canonici constituunt unum tantummodo suffragium, & si ambo conveniant in sententiam Episcopo contrariam, tunc ad tertii electionem procedendum est, juxta formulam à Tridentino sess. 25. c. 6. de reformatione præscripta. Ita ex pluribus decretis S. Congregationis Concilii, & ex collatione duorum locorum Tridentini, altero in sess. 6. c. 4. altero in sess. 25. cap. 4. de Synodo dioc. lib. 13. cap. 9. nov. edit.

53 Si Amplissima est hæc materia. At angusti limites additionum vix patiuntur, ut aliqua habeamus de jurisdictione ordinaria, & delegata, tum de jurisdictione contentiosa, & voluntaria.

De duobus modis jurisdictionis dici potest ordinariæ.

54 Primo, quæ jure perpetuo, & stabili, vel lege, vel Principum constitutione ad instar regulæ constituta est, & efformata. Opponitur delegata, quæ extra ordinem committitur alicui, qui aliis Judicis munus non habet, in certo casu, & sic se habet per modum exceptionis. Hoc sensu omnia Principum, & Prælatorum judicia jurisdictionem habent ordinariam, quippe quia hæc in finem sunt constituta, ut ordinariæ, & regulariter in causis controversis pateat ad ea aditus, & Judices iis propositis nomine Principum, & Prælatorum jus dicant. Commissarii vero, qui pro re nata ad certam causam deputantur, extraordinariam jurisdictionem habent, cum perpetuum iudicium non exerceant, sed unam alteramque causam ob singulares circumstantias expediunt, pateatque adhuc ad Delegantem recursus.

55 Secundo dicitur ordinariæ jurisdictionis, quam quis jure proprio & non ex alterius commissione, & beneficio tenet, & exerceat, nec ita à Superioris arbitrio dependet, ut pro ejus arbitrio revocari possit. Opponitur huic vicariæ, seu delegatæ jurisdictionis, quam quis nomine, & vice ejus, qui jurisdictionem ordinariam habet, gerit. Hoc sensu soli Principes, & Episcopi habent jurisdictionem ordinariam. Officiales vero Episcoporum vicariam gerunt operam, qui eam ob causam dicuntur ipsorum Vicarii, reddendis rationibus iisdem obnoxii sunt, & ab eis in exercitio jurisdictionis sunt dependentes.

57 Dicitur habere officialem eandem jurisdictionem, quæ competit Episcopo. At eam haud habet eodem modo. Ille enim eam habet jure proprio: Hic vero potestate vicariæ, licetque idem exerceat tribunal, quod Episcopus habet, est adhuc ejus administrator, ab eoque constituitur. Vide de his omnibus Bohemer. in *Decretal. lib. 1. tit. 28. §. 7.*

58 De contentiosa jurisdictione non est quod multa habeamus. De ejus divisione in liberalem, & secretariam traditum ab Obseculo de *jurisdic. l. 1. c. 9. num. 19.* vide omnino Schedimier. *Jurisprad. cant. l. 1. tract. 5. c. 8. in supplement. quest. 2. per tot.*

59 Voluntaria jurisdictionis neque à voluntate Magistratus dicitur, quasi eam pro arbitrio accommodet, neque à voluntate partium, quasi eam pro suo lilitu petant, sed potius ab actibus, qui non imperantur, sed à volentibus solum, & consentientibus peraguntur, Lauterbac. in *disp. de jurisd. Volum. thes. 2.*

60 Dividitur jurisdictionis voluntaria in simplicem, & mixtam. Simplex exercetur à Magistratu sine speciali causæ cognitione, sola interpositione publicæ auctoritatis circa actum, qui coram se geritur,

Mixta exercetur cum speciali & solemnibus causæ cognitione; Braun. de *jurisd. cap. 4. §. 3. num. 4.*

Pertinet ad jurisdictionem voluntariam simplicem ex Juris dispositione adoptio, emancipatio & manumissio, & ex interpretatione Prudentum insinuatam testamenti judicialis, hypothecæ bonorum immobilium, edificialis bonorum possessio, aperta, & publicatio testamentorum, Lauterbac. *did. disp. thes. 33. & sequunt.* Vinn. de *jurisd. c. 6. num. 6.*

Ad jurisdictionem voluntariam mixtam pertinent arrogatio, emancipatio impuberis, manumissio servi, si fiat à minori 25. annis, transactio de alimentis testamenti relicti, alienatio rerum immobilium, vel mobilium prætoriarum ad pupillos, vel minores spectantium, & bonorum possessio decretalis; consule Schmier. *Jurispr. canon. civil. lib. 1. tract. 5. cap. 8. section. 2. §. 4. num. 48. & plur. sequunt.*

Quæritur: An dispensatio super votis, & juramentis, absolutio à censuris, collatio beneficiorum, aut privilegiorum, & alia id genus Jure canonico indacta, spectent ad jurisdictionem voluntariam, & utrum ad simplicem, an ad mixtam? At confer Schmier. *Jurispr. canon. civil. lib. 1. tract. 5. cap. 8. sect. 2. §. 3. num. 43. & seq.*

Conveniunt in hoc jurisdictionis simplex, & mixta, quod utraque personalem requirit presentiam eorum, quibus administratur, nec ministerium Procuratoris admittit, de *jurisdic. cap. 4. §. 3. num. 11.*

Differunt vero, quia simplex potest administrari in causa propria, proprie, conjunctis personis, à Judice competente, & incompetente, intra, & extra territorium jus dicentis: die feriato, & non feriato. Mixta vero redditur causis & personis alienis à Judice competenti, ac pro tribunali sedente intra territorium proprium, diebusque juridicis. Nec mirum. Simplex enim cum non requirat causæ cognitionem, nec judicium, nec loco adstricta, solam presentiam Magistratus, & inscriptionem negotii ad acta desiderat. Mixta vero, utpote desiderans judicalem causæ cognitionem, certo loco, Judicis, & judicio alligata est; Vinnius de *jurisdic. cap. 6. num. 7.* Braun. *cod. tractat. c. 4. §. 3. num. 38. & sequent.* D

JUS, JUSTITIA.

SUMMARIUM.

- 1 *Jure vocabulum unde sit dictum, & quomodo hæc loco accipitur, ad num. 3.*
- 4 *Juris quotuplex divitio, ac subdivitio, ad num. 22.*
- 23 *Corpus juris canonici in quot & quas partes dividitur, ad num. 34.*
- 35 *Quinam sit juris civilis & canonici promiscuus usus in utroque foro, ad num. 41.*
- 42 *Quid sit agendum in Jurium discordantia, sive contrarietate, ad num. 43.*
- 44 *Jur, prout est obiectum Justitiæ, quid sit, & quem a modum dividatur, ad num. 48.*
- 49 *Justitia quid sit, & quomodo commissivè dividatur, ad num. 53.*
- 54 *Quænam Justitiæ ratio intercedat inter Deum & hominem, patrem & filium, maritum & uxorem, dominum & servum, ad num. 56.*
- 57 *Justitia præmiativa, & punitiva, seu vindicativa, ad quam Justitiæ speciem reducat.*
- 58 *An unquam adversus Jus divinum præscribitur, & in quibus datur præscriptio adversus Jus humanum.*
- 59 *Alia ad rem remissive.*

Jus derivatur à verbo *Justo*, textu expresso in *cap. 1. Jus generale 2. dist. 1.* ibi: *Jus autem est dictum, quia Justum est, & in l. 1. ff. de Justitiâ & Jure, ibi: Jus à Justitiâ appellatum est, nam Jus est ars boni, & æqui. Nec in re discrepat. cap. Jus dictum est 12. de verbor. significat. ubi dicitur: Jus dictum est à jure possiden-*

*deni, hæc enim jure possidetur, quod Juste: quia ibi, ut rectè notant Abbas in dict. cap. Jus dictum: Reiffensuel lib. 1. decretal. §. 1. proamii num. 3. & alii, ponitur etymologia Juris, non prout Jus est nomen generale, sed prout applicatur ad rem certam, dicens v. gr. *Hæc Jus in tali re.**

3 Relictis variis aliis Juris acceptionibus, hic Jus potissimum accipitur pro lege, quæ est regula justitiæ, seu justitiam in genere; Cum enim legibus non nisi id, quod justum est, sive debitum inter cives, vel erga rempublicam statuitur, hinc usu receptum est, ut ipsæ leges tum divinx, tum humanæ Jura appellarentur, & in hac significatione accipitur Jus, in *cit. cap. Jus generale 2. dist. 1.* ubi dicitur: *Jus generale nomen est, lex autem Juris est species.* Unde Jus pro lege acceptum dividitur primo in naturale, & Jus positivum. Jus naturale (quod alio nomine nuncupatur *lex naturalis*) est illud, cuius obligatio non ex libera alicujus præcipientis Legislatoris voluntate, sed ex ipsa rei præcepta, vel prohibita natura oritur, ut v. gr. *Quod tibi vis fieri, alteri ne feceris, & hujusmodi; Est in re Communis, & colligitur ex c. Jus naturale 7. dist. 1.* ubi dicitur: *Jus naturale est commune omnium nationum, eo quod ubique Jure natura, non constitutione aliqua habetur.* Et clarissime insinuat *Ad Romanos cap. 2. ibi: Genes, que legem non habent (id est scriptam) naturaliter ea, que leges sunt, faciunt ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui attendant opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Et jam indicaverat Reiffensuel saltes *Psalm. 4. ibi: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Jus positivum est illud, quod non ex rei natura, sed ex libera Dei, vel hominis voluntate pendet, & vim obtinet: Et dicitur positivum, quia à Superiore, non ex quadam necessitate, atque intrinseca exigentia objecti, sed libere, & contingenter ponitur; *Est in re Communis.*

6 Jus positivum dividitur in Jus positivum divinum, & positivum humanum. *Jus positivum divinum est, quod à Deo Supremo Legislatore, de iis, quæ ad Jus naturale non spectant, in tempore latum, & hominibus positum fuit.* Notanter autem dicitur, *De iis, quæ ad Jus naturale non spectant*, ut ab isto Jure divino positivo excludatur Jus naturale, quod certo respectu, & ratione etiam divinum appellatur, quatenus à Deo tamquam auctore naturæ mentibus humanis est inditum. *Jus positivum humanum est illud, quod ab auctoritate humana aliquid præcipiente, vel prohibente procedit.*

7 *Jus positivum divinum subdividitur in veteris, & novum. Veteris est, quod Deus in veteri testamento tulit, & triplicis generis præcepta continebat, scilicet moralia, ceremonialis, & judicialia.* Jus positivum divinum novum est, quod Christus Dominus verus Deus, & homo in novo testamento condidit, & observari mandavit; & continet præcepta Fidei, Spei, Charitatis, & Sacramentorum.

8 Jus positivum humanum subdividitur in Jus gentium, civile, & canonicum. *Jus gentium est illud, quo omnes gentes, vel ferme omnes utuntur l. 1. §. Jus gentium ff. de Justitiâ, & Jure; junctâ leg. Omnes ff. de Jure ubi dicitur: Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes gentes peræque custoditur, vocaturque Jus gentium, quasi quo Jure omnes homines utuntur."* Jus autem gentium duplex solet à Juristis assignari, scilicet Jus gentium *Præmarium, & Secundarium.* Jus gentium *Præmarium* est illud, quod naturalis ratio omnibus gentibus dicitur, quodque mentibus hominum à Deo naturaliter inditum est, & ab omnibus populis solo naturali instinctu rationis custoditur, & sic coincidit cum Jure naturali §. Jus autem, *Institut. de Jure natura, gentium, & civil. l. Omnes 9. ff. de Justitiâ, & Jure cum similibus.* Jus gentium *Secundarium* est illud quod ex naturali quidem ratione proficiscitur, at non simpliciter, & ab initio solo rationis instinctu nobis est inditum, sed necessitate humani commercii postea sic exigente usu, ac moribus omnium gentium est introductum: sive per modum legis præceptivæ, aut prohibiti-

væ, sive solum per modum potestatis, seu facultatis permissivæ quidpiam agendi, quod usu, seu consuetudine omnium, vel penz omnium gentium præcipitur, prohibetur, aut conceditur tamquam necessarium, vel utile hominibus inter se societatem, seu commercium fovendis; & de hoc Jure Gentium secundario est sermo in *leg. Ex hoc Jure ff. de Justitiâ, & Jure, & §. Jus autem Gentium, Institut. cod. tit. & afferuntur exempla in c. Jus Gentium 9. dist. 1. præcisè his verbis: Jus gentium est alium occupatio, & catio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fideiura, paces, inducie, Legatorum non violandorum religio, conjugiæ inter alienigenas prohibita. Hæc itaque Jus Gentium appellatur, quia eo jure omnes Jure gentes utuntur.*

*Jus civile est, quod auctoritate Principis, sive Magistratus secularis est conditum ad reipublicæ gubernationem & temporalem pacem, & salutem civium conservandam; Est in re Communis per textum in cap. Jus Civile 8. dist. 1. ubi sic præcisè dicitur: Jus civile est, quod quæque populus, vel quæque civitas sibi propriam divitiâ, humanaque causa constituit.*

Jus civile dividitur primo in Jus scriptum, & non scriptum, *cap. Jus Generale 2. cap. Lex 3. cap. Mox 4. cap. Consuetudo 5. dist. 1. & §. Constat autem, Institut. de Jure natura, gent. & civil. Jus Civile scriptum est, quod expresso consensu Principis, seu Magistratus legis condendæ potestatem habentis, constitutum est. Jus autem civile non scriptum est Jus consuetudinarium, sive illud quod diuturnis moribus, tacito utentium consensu comprobatis, introducitur: Communis; argum. civitas Ju-*

Jus civile dividitur secundo in Jus commune, & particulare, seu municipale. *Jus civile commune est illud, quod est commune omnibus provinciis, & incolis Romano Imperio subjectis, illosque omnes obligat. Jus autem Civile particulare, seu municipale est illud, quod non ligat omnes subditos Imperii Romani, sed solum subditos loci, vel territorii, pro quibus hoc Jus conditum est. Communis.*

Totum Jus commune civile, seu cæsareum dividitur in tres præcipue partes, scilicet in digestum, institutiones, & codicem. *Digestum*, quod alio nomine appellatur *Pandectarum*, seu libri *Pandectarum*, continet in se quinquaginta libros, qui omnes divisi solent in tres tomos. Primus vocatur *Digestum veteris*, quia prius editum est, & continet priores viginti quatuor libros. Secundus vocatur *Informatum*, quia fortiore ac pleniorum legum cognitionem suppeditat, & continet sequentes quatuordecim libros usque ad trigessimum octavum inclusive. Tertius vocatur *Digestum novum*, quia postremo editum est, & continet reliquos duodecim libros. *Institutiones Imperiales*, seu Justiniani Imperatoris, dividuntur in quatuor libros, & sunt quoddam Juris compendium. *Coll. x. Justiniani* continet duodecim libros, quorum tres ultimi tractantes de Jure publico non solent explicari in omnibus scholis. Istitis tribus Juris civilis partibus sunt adjectæ postremo *Novellæ Constitutiones Justiniani*, & Leonis Imperatorum, & alio nomine dicuntur *Authenticæ*, & constant novem Authenticis Collationibus, quibus recens decima adjecta est: insuper adjectæ sunt *Consuetudines Feudorum*, seu duo *Libri Feudorum*, & alie quædam Constitutiones Imperiales.

Jus canonicum derivatur à verbo græco *Canon*, quod latine significat regulam, *cap. Canon. 1. dist. 3.* Regula autem ecclesiastica est sic dicta, eo quod recte ducit, nec aliquando aliorum trahit, quam ad rectitudinem, vel quod regat, vel quod normam rectè vivendi præbeat, vel quod distortum, pravumque corrigat, *cap. Regula 2. dist. 3.* Unde Jus canonicum rectè definitur, quod sit Jus positivum ex sacris canonibus, seu regulis ecclesiasticis collatum, & ad rectè vivendum æternamque salutem consequendam, & justitiam in populo christiano conservandam à Summis Pontificibus ecclesie catholicæ traditum, constitutum, vel approbatum. *Ita in re Communis.* Jus canonicum vocatur etiam alio nomine *Jus ecclesiasticum*, quia materia in ipso contenta est ecclesiastica, & agit potissimum de personis, & res-

bus ecclesiasticis. Item vocatur etiam *Jus Pontificium*, quia à Summis Pontificibus fuit institutum, & approbatum. Item vocatur etiam *Jus divinum* large sumendo Jus divinum, sive quia instinctu, & gratia S. Spiritus canones editi sunt, ut dicitur in *cap. Violatores 5. caus. 25. quest. 1.* sive quia canones sunt veluti conclusiones deductæ ex principiis Juris, seu legis divinæ, c. Qualiter 22. de accusat. & quædam ex sacris literis excerpta continent; sive denique quia Summus Pontifex potestatem condendi leges ab ipso Christo, veluti ipsius Vicarius, & Petri successor accepit, ut desumitur ex *cap. Translatio 3. de Constitutionibus.*

19 Jus Canonicum dividitur primo ad instar Juris civilis in scriptum, & non scriptum, textu expresso in *cap. Jus Generale 2. dist. 1. in c. Ecclesiasticarum 5. dist. 11.*

20 Jus Canonicum scriptum desumptum est partim ex Jure divino, & sacra scriptura veteris, & novi Testamenti, partim ex decretis Conciliorum auctoritate pontificia confirmatorum, partim ex diversis rescriptis & constitutionibus Summorum Pontificum, partim ex placitis, seu legibus Principum Secularium, & partim ex sententiis Sanctorum Patrum.

21 Jus Canonicum autem non scriptum continet Traditiones, & laudabiles consuetudines ecclesiasticas; *Communiter*, & clare patet ex *cap. Ecclesiasticarum 5. cap. Consuetudinem 6. cap. In his rebus 7. cap. Catholica 8. cap. Palam est 9. cap. Hoc vestre 10. cap. Quis nesciat 11. dist. 11. cap. Præceptis Apostolicis 2. cap. Sit Sancta 3. cap. Illud breviter 4. cap. Ridiculum 5. cap. Diurni mores 6. cap. Consuetudo 7. cap. Nos consuetudinem 8. cap. Quemadmodum 9. cap. Novit 16. cap. Illa autem 11. cap. Omnia talia 12. dist. 12.*

22 Jus Canonicum dividitur secundo in *Jus commune*, & *Jus speciale*. *Jus Canonicum commune* est illud, quod pro universa ecclesia latum est, & omnes fideles obligat. *Jus Canonicum speciale* est illud, quod solum pro certo loco, provincia, diocesi, vel communitate latum fuit, & extra fines ipsius non obligat, ut sunt diversæ constitutiones synodales diocesum, aut provinciarum; *Communiter*.

23 Corpus Juris canonici dividitur in sex partes, scilicet; *Prima est* Decretum Gratiani; *Secunda sunt* Decretales Gregorii IX. *Tertia* Decretales Bonif. VIII. *Quarta* Decretales Clement. V. *Quinta* Decretales Joan. XXII. *Sexta* Decretales variorum Pontificum.

34 Prima igitur pars Juris Canonici est Decretum Gratiani, quod à suo Auctore Gratiano Religioso Ordinis Sancti Benedicti nomen traxit, qui anno circiter 1150. tempore Eugenii III. hoc opus ex diversis sacre scripture sententiis, Summorum Pontificum, & Conciliorum decretis, Sanctorum Patrum scriptis, Imperatorum etiam legibus, & sanctionibus compilavit, ac *concordiam discordantium canonum* appellavit, & multa de suo adjecit. Hoc Gratiani decretum componitur ex tribus partibus. Prima pars continet centum, & unam distinctiones, in quibus per capita, seu canones agitur de Jure divino, & humano, & de personis ecclesiasticis. Et textus in hac prima Decreti parte contenti citantur ponendo numerum distinctionis, & initium capituli, seu canonis, v. gr. *dist. 1. cap. Jus Generale*: ubi legendum est, *Ut habetur dist. 1. Cap. seu Canone, qui incipit Jus Generale*: Secunda pars continet causas 36. in quibus tractatur de negotiis Clericorum, & laicorum, & earum ferme quælibet plures continet questiones, & quælibet quæstio plures canones, seu capita. Et textus in hac secunda parte contenti citantur hoc modo, c. Nullius crimen 1. *quest. 4. lege Capite, seu Canone, qui incipit* Nullius crimen, *Causa prima, questione quarta*, & ut facilius textus reperiantur, solet à multis præponi ad caput, seu canonem proprius numerus in ordine, scribendo v. gr. *Nullius crimen 1. caus. 1. quest. 4.* Inseritur autem causæ trigesima tertia de matrimonio agenti, Tractatus de penitentia in questione tertia, quæ dividitur in septem distinctiones subdivisas per capita, seu canones. Et textus in hoc tractatu citantur sic, v. gr. *Cap. seu Can. Petrus doluit, de Penitentia dist. 1. lege ut habetur de Penitentia dist. 1. cap. seu Canon. qui in-*

*cipit Petrus doluit.* Tertia tandem Decreti pars, quæ agit de consecratione ecclesiarum, de celebratione missarum, de sacramentis Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ &c. continet quinque distinctiones, quarum quælibet complectitur varia capita, seu canones; Et textus in hac tertia parte contenti citantur hoc modo, *Cap. vel Canon. Omnes Basilicæ, de consecr. dist. 1. lege Capite, vel Canone*, Omnes Basilicæ, *de consecr. dist. 1. Vel citantur sic, de consecr. dist. 1. Omnes Basilicæ lege de consecratione dist. 1. Cap. seu Can. qui incipit*, Omnes Basilicæ: His adjungi solet quadraginta septem Canones Penitentiales, qui sic citantur, *Canon, Penitent. 1. vel 2. vel 3. vel 4.* Item octoginta quatuor canones, quos *Apostolicos* vocant, dicunturque collecti per Sanctum Clementem Papam, & sic citantur *Can. Ap. 1. vel 2. vel 3. vel 4.* sicuti est proprius numerus in ordine.

Quamvis necdum sufficienter constet, quod Decreto Gratiani universim fuerit attributa auctoritas legis canonice totum mundum obligantis; nihilominus propter perfectam emendationem, & hujus emendationis approbationem à Gregorio XIII. factam meretur aliquam fidem, cum tamen canones, aliaque ibidem contenta cum suis originalibus sine errore, aut falsitate correspondent, ut pluribus citatis tradit Barbosa in *Collect. DD. ad præmium Decreti num. 6. & seq. Pithing. in præmio n. 32. Engel ibid. num. 6. Reiffenstuel ibid. num. 65. & alii passim.* Hinc canones, aliaque contenta in tali Decreto habent eandem auctoritatem, quam de se habent, & habent apud proprios Auctores, seu Conditores, nec majorem habent per hoc, quod referantur in ipso Decreto. Sic Doctores supracitati, ac alii fere communiter, & expresse Sacra Rota Romana apud Penias *dec. 480.* ubi inter alia sic habet: "Nec refert illos canones recenseri in decreto à Gratiano compilato, quia, cum Gratianus non publica auctoritate infinita quæque illa canonum ecclesiasticorum, & legum etiam secularium Capitula in suum librum contulerit; nec legis condendæ auctoritatem habuerit, nec ab aliquo Romano Pontifice liber ille (N. B.) tamquam authenticus, & legalis approbatus fuerit, inde fit, quod quilibet canon non inibi relatus ex eo tantum, quod ibi referitur, non habeat majorem auctoritatem, quam in proprio loco consistens de sui natura esset habiturus. Nec Greg. XIII. Gratiani librum tamquam legale authenticavit, cum solum emendari jussisset, & emendationes sine additionibus mandaverit observari."

Secunda pars Juris canonici sunt Decretales jussu Gregorii IX. collectæ à Sancto Raymundo de Pennafort Ordinis Predicatorum circa annum 1234. Iste Decretales sunt sic dictæ, quia magis ex Summorum Pontificum constitutionibus, & epistolis decretalibus coalescunt, ex Conciliorum decretis. Decretum autem Gratiani è contra. Dividuntur istæ Decretales in quinque libros, Libri in titulos, & Tituli in capitula, & citantur ponendo initium, vel numerum Capituli, & allegando Titulum, v. gr. *Canonum Statuta, de Constitutionibus; lege Capite Canonum Statuta, tit. de Constitutionibus*; & ab aliquibus post initium Capituli ponitur etiam numerus sui ordinis; ut facilius reperiantur, v. gr. *cap. Canonum Statuta 1. de Constitutionibus*; Glossator Decretalium est *Bernardus Parmensis.* Materiam Decretalium Glossa præfatis memoræ causa sequentibus versiculis comprehendit:

*Pars prior officia parat, ecclesieque ministros,  
Altera dat testes, & cetera Judiciorum,  
Tertia de rebus, & vita Presbyterorum,  
Quarta docet quales sint nexu conjugiorum,  
Quintaque de viitiis, & panis tractat eorum.*

Et brevius hoc versiculo.

*Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.*

Tertia pars Juris canonici est *liber sextus Decretalium*, 28 qui post quinque libros Decretalium Gregorii IX. auctoritate Bonifacii VIII. compilatus fuit à *Guilielmo Ebrudu-*

*nenzi, Berengario, Biterrensi, & Ricardo Senensi* circa an. Christi 1297. qui etiam dividitur in alios quinque libros, qui subdividuntur in titulos juxta ordinem in quinque Decretalium libris observatum (omissis tamen illis titulis, circa quos specialis controversia de novo non emerant) ac tituli in capitula, Citatio in hac parte fit ponendo initium, vel numerum Capituli, & Titulum, ut in quinque libris Decretalium, cum addito in 6. v. gr. *cap. Ut super 4. De appellat. in 6. lege, Capite, quod incipit* Ut super, & est quartum in *Titulo de Appellationibus in libro sexto Decretalium.* Glossator hujus libri est *Joannes Andreas Bononiensis Jurisconsultus.*

29 Quarta pars Juris canonici sunt *Clementine*, id est constitutiones, partim editæ à Clemente V. partim ejus jussu collectæ; & post ejus mortem promulgatæ à Joanne XII. circa annum Christi 1317. & dividuntur in quinque libros, Libri in titulos, & Tituli in capitula. Citatio fit v. gr. *Clement. Causam electionis 3. De electione, lege in Clementinis capite.* Causam electionis 3. *De electione.* Glossator est dictus *Joannes Andreas Bononiensis Jurisconsultus.*

30 Quinta pars Juris canonici sunt *Extravagantes* Joannis XXII. id est viginti constitutiones editæ à Joanne XXII. & distributæ in quatuordecim titulos, & dicuntur *Extravagantes*, quia vagantur per varias materias ultra illas, quæ in libris Decretalium habentur, & quia antea extra corpus Juris canonici incerta quasi sede vagabantur, quod nomen adhuc retinent, licet postea in ordinem librorum Juris canonici redactæ sint. Citatio fit addito nomine hujus Papæ v. gr. *Extravag. Prodiens Joannis XXII. lege In Extravagante Constitutione Joannis XXII. que incipit Prodiens.* Glossator est *Zenzelinus de Cassanis.*

31 Sexta pars Juris Canonici sunt *Extravagantes Communes*, id est constitutiones, quæ post priora omnia emanarunt à diversis Pontificibus, & dividuntur in quinque libros, Libri in titulos, Tituli in capitula, quorum singula novam, & distinctam continent constitutionem, vel constitutiones, seu Extravagantes; Vocantur *Extravagantes* propter supradictam rationem, & *Communes*, quia non ab uno solo Pontifice, sicut Extravagantes Joannis XXII. sed à pluribus, & diversis Pontificibus sunt editæ. Citatio fit ponendo initium Capituli, & Titulum, in quo reperitur Capitulum, v. gr. *Extravag. Ad Regimen 13. de præbend. lege, In Extravagante, que incipit.* Ad regimen cap. 13. *de præbendis.* Glossas addiderunt *Joannes Monachus, Guillelmus de Monte Lauduno, & Joannes Franciscus de Pavinis.*

32 Corporis Juris canonici in quibusdam recentioribus exemplaribus ad finem reperitur adjectus *liber septimus Decretalium* collectus à *Petro Matthæi Jurisconsulto Lugdunensi*, & juxta ordinem titularum in quinque Decretalium libris contentorum distributus. Ast hic, prout nunc est editus, non est auctoritate publica in corpus Juris canonici receptus, licet habeat constitutiones reipsa obligantes, qualis sunt decreta, & canones posteriorum Conciliorum usque ad Tridentinum inclusive, & constitutiones multas variorum Summorum Pontificum, quæ in ipso reperiantur.

33 De alio *septimo Decretalium libro* memoratu dignam relationem facit *Prosper Fagnanus lib. 2. Decretal. in cap. Cum venisset 12. de iudicis num. 611. & 62.* quæ prout ibi est, hic ad literam datur, *ibi*: "Cum Gregorius XIII. commisisset prius Flavio Ursino, Francisco Alciato, & Antonio Carase S. R. E. Cardinalibus licentiam compilandi septimum librum Decretalium, multaque ipse manu sua exarasset, ac monuisset, sed è vivis ereptus inchoatum opus dimisisset; Sixtus V. ejus Successor eam curam imposuit Dominico Cardinali Pinnello an. 1587. eique Collegas adjunxit Cardinales Aldobrandinum, Matthæum, Columnam. Ex quibus Cardinali Aldobrandino post obitum Sixti ad Pontificatum assumpto, & creatis Cardinalibus ex Prælatibus ipsius Congregationis Lucio Saxo, Laurentio Blanchetotto, & Pompejo Arrigono, extremo an. 1593. factus est finis ea undequaque seligendi, & recognoscendi, quæ inserenda in canonum corpus essent. Magnopere autem

hasitatum est, num in extrema hac compilatione inseri deberent Ecumenicorum Concil. Florentin. ac Tridentin. Canones etiam ad dogmata pertinentes: & tandem optimis rationibus in eam litem est sententiam, ut insererentur, licet collectiones tam Gregorii IX. Bonifacii VIII. & Clementis V. quàm antiquiores Isidori, Burchardi, Anselmi, Photii, & aliorum paucissimis dogmatibus sint respersæ. Itaque volumen Pontificia jura, & Conciliorum decreta trecentorum prope annorum in quinque libros disposita, suis propriis distributa titulis, compendiarie quadam summa complectens extremam manum accepit die 25. Julii an. 1598. Sed cum typis jam excusum sub nomine septimi libri Decretalium Clementis VIII. propediem esset publicandum, gravis emerit difficultas, quod cum decreta fere omnia Concilii Tridentini in eo inserta jam in corpus Juris canonici redacta essent, negandum non erat, quin Jurisperitis liceret eis applicare glossas, & commentarios; ita enim in præcedentibus compilationibus factum videmus, nam, ut missas faciamus veteres Græcorum collectiones, quibus suas addiderunt interpretationes, non modo *Alexius Aristenus, Joannes Zonaras, & Theodorus Balsamon, verum etiam Joannes Scholasticus, & Photius* ambo Constantinopolitani *Anistes, & Marthæus Bastens Monachus, Constantinusque Hermenopolis, atque Arsenius;* apud Latinos prima Decretalium compilatio, quàm tempore *Alexandri III. ex decretis antiquorum Conciliorum, & Summorum Pontificum constitutionibus à Gratiano omissis* fecit *Bernardus, Praepositus Papiensis, mox Faventinus Episcopus, & Breviarium Extravagantium inscripsit, licet privato ejus nomine edita fuerit; Glossatores tamen habuit Vincentium, Alanum, Tancredum, Laurentium, & Rogerium.* Similiter ad secundam privatam compilationem *Gilberti, & Alani,* quàm suo nomine edidit *Joannes Gallensis eorum discipulus, glossemata fecerunt eidem Joannes, Hugo Ferrariensis Episcopus, & Bernardus major Compositellanus.* Quemadmodum & ad tertiam, quæ à *Bernardo Archidiacono Compositellano propria auctoritate Romæ confecta, & idæo Romana appellata, ac deinde omnium prima liber Decretalium conscripta fuit, glossas fecerunt idem Vincentius, Alanus, Rogerius, Jacobus, & omnium copiosissime Tancredus, ut constat ex vetusto codice antiquarum compilationum ab Anagnina civitate in bibliothecam Vaticanam delato, licet Joannes Andreas putaverit glossas ad hanc compilationem composuisse Paulum Hungarum. Quartæ itidem compilationi, cui addita fuerunt capita septuaginta, & unum Generalis Concilii Lateranensis paulo ante celebrati, glossæ fuerunt applicatæ, licet de auctoribus varietas sint opiniones, alii enim illas tribuunt Joanni, alii Roberto, sive Rogerio. Et prætermissa quinta, quàm idem Tancredus compaginavit ex constitutionibus Honorii III. ad sextam itidem compilationem, quàm *Gregorius IX. ex quinque compilationibus præcedentibus in quinque libris Decretalium disposuit, opera scilicet Raymundi tunc ejus Capellani, & Pontentiarum, mox Tertii Ordinis Predicatorum Magistri generalis, glossas edidit Bernardus de Borono Parmensis, & Canonicus Bononiæ.* Sed & ad sextum Librum Decretalium Bonifacii VIII. quæ septima fuit compilatio, *Jo. Andr. Bononiensis applicuit glossas Jo. Monachi Cardinalis, fuerunt enim concurrentes, ut idemmet Jo. Andr. testatur in præfatione ejus libri.* Ac deinceps ad compilationem Clementinam Clementis V. à Joanne XXII. publicatam, glossas confecit idem Jo. Andr. Et ad Extravagantes, quæ una cum Decretalibus Gregorii IX. Sexto, Clementinis, Corpus Juris canonici constituunt, ut declaravit Gregorius XIII. in constitutione, quæ incipit: *Cum pro munere: Zenzelinus de Cassanis, & Guillelmus de Monte Lauduno glossas applicaverunt, & apostillas Joannes Franciscus de Pavinis Rota Auditor. Idem veterum Canonum Expositores, Rufinum, Silvestrum, Jo. Hispanum, Jo. Faventinum, Goffredum, Melendrum Bartholæum Brixiens. Jo. de Deo, & alios quamplures**

recenset Guillelmus Durand. in *proem. Spec. num. 14.* ubi fufius Jo. Andr. in *addition. incip. B. Parm. litera M.*  
 Quod igitur ad veteres canonum collectiones factum est, nulla ratio suadebat, cur non idem esset permittendum ad extremam hanc compilationem septimi libri Decretalium. Id vero ex diametro adversabatur constitutioni Pii IV. prohibentis, ne super decretis Concilii Tridentini edantur glossæ, & commentarii, nullumque omnino interpretationis genus. Tanti autem hujusmodi prohibitio habita fuit, ut haec unam ob causam substituerit hujus voluminis publicatio miris melucubrata laboribus, ac vigiliis, & Præsulum, Gymnasiorum, totiusque Ecclesie vocibus efflagitata; ita ut propterea nullus restet dubitandi locus, quin constitutio Pii IV. interdicit etiam probabilem Glossariorum interpretationem. *Hactenus Fagnanus.*

34. Extra corpus Juris plures alii libri sanctiones habentes extant, scilicet *Concilia Generalia, & Provincialia à Summis Pontificibus approbata, Bullarium, Regule Cancellaria, Declarationes Cardinalium, & decisiones Rotæ Romanæ; De Conciliis, vide verb. Concilium. De Bullario stat certum, quod Bullæ, seu Constitutiones Pontificiæ in ipso contentæ, si probantur authenticæ, & originali suo conformes, habent vim obligandi, secus non, uti recte Pletemberg. in *Introductione ad Jus canonicum. cap. 19.* advertit, & alii passim. De *Regulis Cancellaria, vide verb. Cancellaria. De Declarationibus Cardinalium, vide verb. Declarationes Cardinalium. De Decisionibus Rotæ Romanæ* est certum, quod, licet istæ faciant Jus inter partes ipsas litigantes, non tamen faciunt Jus universale, ut docet Franciscus de Pavinis in *preludio Extravagantium Joann. XXII. & communis aliorum, vide verb. Auditores Rotæ.**

35. Canones, & leges mixtum allegantur in utroque foro, quando sibi non contradicunt; Colligitur ex *cap. Si in adiutorium 7. dist. 10. ibi: Si in adiutorium vestrum etiam terreni Imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus. Recit hoc Paulus, cum adversus injuriosos civem Romanum se esse protestatus est, concordat textus in cap. De capitulis 9. & cap. Certum 12. eod. dist. 10. juncto cap. 1. de novi operis nuntiation. cum similibus, & patet experientia apud omnes Canonistas, & Legistas. Hinc casus in Jure civili dubius, sed in canonico clare decisus, procedit quoque in foro civili, & è contra, *cap. 1. De novi operis nuntiation. ibi: Sicut leges non designantur sacros canones imitari, & sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur ubi Glossa verb. Adjuvantur notabiliter infert: Et ita in causa ecclesiastica leges possumus allegare, ut etiam canones deficient, possit judicari secundum leges. Et Abbas ibid. num. 3. dicit expresse: Causa Ecclesia debet decidi per jus civile in defectum canonum; omnes enim leges Principum non contradicentes canonibus sunt approbate per Ecclesiam, ut patet hic; & Fagnanus in *cap. Cum esses num. 18. de testam. sic inquit; Ubique non reperitur aliqua dispositio juris civilis expresse immunita à Jure canonico, non debemus inducere discrepantiam inter Jus canonicum, & Jus civile. Immo lex civilis servari debet etiam in foro Ecclesie, ut cap. 1. & ibi Abbas num. 2. Jo. Andr. num. 6. & alii communiter de novi operis nuntiation.***

36. Quando autem inter Jus canonicum, & civile est aperta contrarietas, & diversitas, eaque est de re profana, nec attingit conscientiam, vel peccatum, ut circa solemnitates, testamentorum, judiciorum, contractuum, aliorumque similium actuum: Quodlibet Jus est in suo foro servandum, scilicet in terris Papæ subiectis canonicum, in terris Imperii secularis Jus civile; *cap. Quoniam 8. dist. 10. & cap. Cum ad virum 6. dist. 96. & concordat cap. Solite 6. de majorit. & obediens. cap. Novit 13. §. 1. de Judicis, & cap. Per venerabilem 13. §. Rationibus, Quæ fuit sunt legitimi.*

37. Quando autem inter Jus canonicum, & civile est aperta contrarietas in materia conscientie, & peccati, v. gr. in præscriptione cum mala fide, in usuris, & hujusmodi materiis peccatorum foveantibus, standum est Juri canonico, relicto Jure civili etiam in terris Imperii secu-

laris; In spiritualibus enim, & ubi agitur de salute animæ Jurisdicção Papæ, tamquam Christi Vicarii, & communis animarum Pastoris, etiam in terris Imperii Secularis, & totum mundum extenditur; ut tenet Communis Catholicorum per textum in *cap. Solite 6. de majorit. & obediens. vers. Quod autem, & in cap. Novit. 13. de Judicis. Extravag. Unam Sanctam, de majorit. & obediens. & ratio est, quia tunc leges civiles foveant peccatum, censentur esse correctæ per canones, lex autem correctæ non dicitur amplius; lex, ut recte docet Glossa in *l. ult. ff. Ad legem Cornel. de falsis, Fagnan. in c. Cum esses num. 167. de testamentis, & communis aliorum, argum. c. Licet Romanus, de Constitut. in 6. & leg. Sed & posterioris ff. de legibus, ubi statuitur, quod lex posterior revocat priorem directe contrariam, etiam non facta ejus mentione. (verb. Lex).**

38. Adducuntur plures correcciones Juris civilis factæ à Jure canonico. Jus civile in leg. Sicut, & leg. Omnes, & leg. Cum notissimi. *Cod. de præscript. 30. vel 40. annor. permittens præscriptum longissimi temporis cum mala fide, est correctum per Jus canonicum in cap. Quoniam 20. de præscriptionibus, ubi leges civiles allegatæ velut nutritivæ peccati expresse revocantur, addita ratione: generaliter sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ abique mortali peccato non potest observari. Jus civile in leg. 1. ff. de usuris, & leg. Eos, qui Cod. eod. cum similibus, ubi censetur licitæ usuræ, vel saltem permittuntur, est correctum per Jus canonicum in cap. Super eo 4. cap. Cum tu 5. c. Præterea 7. de usuris, junctâ Clement. unic. eod. ubi usuræ expresse prohibentur sub gravissimis pœnis. Jus civile in leg. Patri, & reg. ff. ad leg. Juliam de Adulteriis, ubi licitum est Patri occidere adulterum in fraganti crimine cum filia deprehensum, dummodo & filiam occidat, & in leg. Marito ff. eod. ubi idem permittitur marito respectu certarum personarum, si deprehendantur in adulterio cum uxore sua, est correctum per Jus canonicum in cap. Si quis non licet 9. *caus. 23. q. 5. cap. Inter hæc 6. & cap. Admonere 3. caus. 33. q. 2. cum similibus, ubi expresse prohibetur talis occisio, & concordat propositio 19. Inter damnatas ab Alexandro VII. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. Aliæ plurimæ correcciones Juris civilis factæ à Jure canonico possent adduci, sed brevitate gratia relinquuntur videndæ apud Auctores, & præsertim apud Baptistam à S. Blasio tom. 1. trat. Contradictionum juris canonici cum jure civili, ubi de istis duas centurias recenset.**

39. In materia spiritali, & sacramentorum, neglecta, seu relicta dispositione Juris civilis, universim ad Jus canonicum est recurrendum. Hæc enim tractare, & definire non spectat ad potestatem secularem, sed ad spirituales, & ecclesiasticam, textu expresso in *cap. Determinimus 2. de judicis cum similibus. Hinc, quamvis Jure civil. in leg. Nuptie 2. & 18. ff. de ritu nuptiarum, & l. Nec filium Cod. de nuptiis, & §. 2. Instit. eod. declaratur invalidum matrimonium, quod filii familias contrahunt sine consensu parentum, in quorum potestate existunt: standum tamen est Juri canonico, in c. Sufficiat 2. *caus. 27. q. 2. & c. Hoc Sanctum 16. caus. 32. q. 2. cum similibus, ubi talis consensus non requiritur, nisi de honestate, juncto Concil. Trid. sess. 23. c. 1. de reformat. matrim. ubi oppositum asserentes anathemate damnantur.**

40. Item negliguntur, & relinquuntur leges civiles disponentes de personis, & rebus ecclesiasticis, & quoad istas est omnimode standum dispositioni Juris canonici; *cap. Bene quidem 1. cap. Denique 1. cap. Cum ad verum 6. cap. Satis 7. cap. In scripturis 9. dist. 96. cap. Ecclesia 10. de constitutionibus; ubi expresse id statuitur, quamvis leges civiles favorem Ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum concernant, ibi: A quibus, si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiis etiam respiciat commodum, & favorem nullius firmitatis, existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.*

41. Jura Juribus, quantum fieri potest, sunt concordanda, neque eorum correctio est inducenda sine ne-

cessitate, textu expresso in *cap. Cum expediat 29. de elect. in 6. ibi: Cum expediat concordare Jura Juribus, & eorum correcciones, si sustineri valeant, evitari & concordat textus in l. unico. de inoffic. dotibus, ibi: Leges legibus concordare promptum est, cum similibus. Unde in l. Non est novum 25. & seq. ff. de leg. generaliter sancitur ad evitandas jurium correcciones, leges priores esse trahendas, & explicandas per posteriores & è contra has per priores, ibi: Non est novum, ut priores leges ad posteriores trahantur & c. Sed & posteriores leges ad priores perint, nisi contrarie sint. Ubi tamen est manifesta jurium contrarietas non admittens congruam conciliationem, tunc standum est posteriori decisioni, seu constitutioni: Lex enim posterior revocat priorem directe contrariam, etiam non facta ejus mentione, textu expresso in c. Licet Romanus 1. de Constitut. in 6. ibi: Licet Romanus Pontifex, qui jura omnia in scripio pectoris sui censetur habere, constitutionem condendo posteriorem, priorem (quamvis de ipsa mentionem non faciat) revocare noscatur, & c. Concordat lex Sed & posteriores ff. de legibus, ibi: Sed & posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrarie sint. Unde etiam in testamentis statum ultimo, quamvis in ipso non fiat mentio de priori, l. Si mihi, & tibi ff. de legatis 1. & cap. ultima voluntas 4. *caus. 13. q. 2.**

42. Jus, prout est objectum justitiæ, est facultas legitima, quam quis habet ad aliquam rem obtinendam, vel retinendam, aut aliquid faciendum, ita ut ab illius rei obtentione, seu retentione, vel ab illa actione faciendâ licite impediri non possit; Est in re communis. Et in hoc sensu dicitur quis jure suo uti, habere jus agnationis, vel cognationis hæreditatem, vel tutelam, quod jus necessitudinis appellatur, in l. ult. ff. de just. & jur. Item in hoc sensu dicitur hæres succedere in omne jus defuncti; *Regul. juris 59. & 62. in ff. Item in hoc sensu dicitur: Nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur, l. Nullus ff. de Regul. jur. Item in hoc sensu dicitur: Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur; *Reg. 79. juris in 6. Item in hoc sensu dicitur: juri suo quilibet renuntiare potest, cap. Si diligenti 12. de foro compet. c. Si de terra 6. de privilegiis. Item in hoc sensu dicitur: Qui juri suo renuntiat, non potest postea ad illud redire, cap. Quam periculum 8. *caus. 7. q. 1. cap. Cum inter 16. de elect. junctâ Glossa ibid.***

43. Jus taliter acceptum dividitur in jus in re, & in jus ad rem; *cap. Quoniam 8. de concession. præbend. in 6. ibi: Quibus non esset questum in re, licet ad rem.* Jus in re, seu reale est illud, quod per ipsam rei traditionem acquiritur; Jus autem ad rem, seu personale est illud, quod aliquo justo titulo habetur ad rem, ut ejus traditio fiat; *Sic in re communis. Unde, ut vides, Jus in re, seu reale dat actionem in ipsam rem; ita ut habens jus in re habeat actionem ad eam sibi vindicandam, à quocumque possideatur: sic v. gr. Si equus Pauli fuit furto ablatas, poterit eum Paulus repetere ubicumque invenerit, non obstante, quod alius equum bona fide emerit, quia talis equus est Paulo obstrictus, & ipse respectu hujus equi habet jus in re; §. Omnium, Instit. de action. & ibi Glossa final. leg. Officium 9. ff. de rei vindic. Jus autem ad rem, seu personale non dat actionem in ipsam rem, sed in personam impediendam consecutionem rei; sic v. gr. si quis habeat jus ad rem sibi donatam, venditam, sed nondum traditam, seu per eandem, postulationem, aut presentationem ad beneficium ecclesiasticum, nondum sibi collatum, non potest ipsam rem, seu beneficium vindicare, atque in judicio repetere, quia res illa nondum esset facta sua ante actualem traditionem, sicut nec beneficium factum suum ante actualem collationem, sed solum poterit actionem personalem instituire adversus eum, qui ipsum fundaverit, seu injuste impedit, vel impederit ab illius rei, seu beneficii consecutione l. penult. Cod. de action. & oblig. Hinc patet, quod duo possint habere jus respectu unius, & ejusdem rei, unus scilicet Jus in re, & alter Jus ad rem, v. gr. Paulus vendens domum Titio, pretio nondum soluto, & domo nondum tradi-*

ta, habet adhuc jus in domo, Titius autem jus solum ad domum.

44. Unde, ut totum hoc melius intelligatur, notandum est, quod Actio ut sic, quæ habetur §. 1. Instit. de Action. est Jus persequendi in judicio, quod sibi debetur, dividitur in actionem realem, & personalem, ut docet Communis, & clarissimus Textus in §. Omnium, Instit. de action. ibi: Omnium autem Actionum summa divisiō in duo genera deducitur, aut enim in rem sunt, aut in personam; Nam agit unusquisque, dum cum eo, qui ei obligatus est, vel ex contractu, vel ex maleficio, quo casu prodita sunt Actiones in personam, per quas intendit adversarium ei dare, aut facere oportere, & alius quibusdam modis; aut cum eo agit, qui nullo jure ei obligatus est, movet tamen ei de aliqua re controversiam, quo casu prodita actiones in rem sunt, veluti si rem corporalem possidat quis, quam Titius suam esse affirmet, possessor autem dominum ejus se esse dicat, nam si Titius suam esse intendat, in rem actio est.

45. Justitia non semel pro virtute omni, ac sanctitate 49 capitur; sic Proverb. 11. vers. 6. justitia rectorum (scilicet virtuosa, & sancta vita) liberabit eos. Math. 3. vers. 15. dum Christus Joanni baptizate recusanti dixit: Sic enim decet nos implere omnem justitiam, nempe omnem virtutem, & perfectionem. Math. 5. vers. 6. Beati, qui esurunt, & sitiunt justitiam (videlicet, virtutem, & sanctitatem), quoniam ipsi saturabuntur, ibidem vers. 20. Nisi abundaverit justitia vestra (id est virtus, religio, & sanctitas) plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis per regnum calorum: ut enim in hunc textum inquit meus Lyranus, illi magis secundum opera justi appellari, quam secundum voluntatem affectabant; ad salutem autem non sufficit bona doctrina, nisi adsit bona vita; hinc viros Sanctos, & virtute præditos justos appellari ex sacris literis, & Sanctis Patribus passim deprehendimus; estque justitia sic sumpta una ex octo Beatitudinibus, quas in Monte Christus docuit Math. cit. c. 5. At prout ad præsens spectat, justitia tamquam peculiaris virtus, & prima ex cardinalibus attenditur; sicut accepta describitur, quod sit constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi; Communis cum Ulpiano in leg. justitia ff. de justitia, & jure.

46. Justitia hæc communissime dividitur in legaleam, seu universalem, & particularem. Justitia Legalis, seu universalis est virtus ordinans hominem in suis actibus ad bonum commune republicæ, seu communitatis, id est virtus, qua homo reddit, & prestat quod justum & debitum est ipsi communitati ad sui conservationem. Justitia particularis est virtus, quæ cuique particulari personæ Jus suum debitum reddit, seu quod idem est, virtus, quæ recte inter se ordinat, & adequat homines quoad commutationem honorum particularium, & distributionem bonorum communium. Hæc justitia particularis subdividitur in distributivam, & commutativam; Communis est Aristotele 5. Ethicor. cap. 2. Justitia distributiva est, quæ distribuit bona communitatis in singulas partes secundum debitam proportionem dignitatis vel meriti cuiusque, sicut è contra etiam onera communitatis secundum proportionem facultatis cuiusque. Justitia commutativa est, quæ commutat bona particularia inter ipsas partes communitatis secundum æqualitatem debitam, sive ex contractu, sive ex delicto propter damnum alteri illatum. Et hæc justitia commutativa observatur inter partes, quando fit commutatio voluntaria, & ex contractu cum consensu utriusque, scilicet dantis, & accipientis, ut in emptione, venditione, mutuo, aliisque contractibus, considerando solum valorem rerum sine ullo respectu ad personas, ut videlicet tanti valeat res reddenda, quanti valeat accepta, ut centum reddendo pro centum, qualescumque sint personæ contrahentes, & commutantes sive nobiles, sive ignobiles. Et observatur etiam, quando commutatio est involuntaria, & ex delicto, seu damno injuste illato, ut cum quis alicui invito aliquid suum auferat, seu damnum injustum infert in bonis fortunæ, famæ, vel vitæ. Si quis enim furatus sit alteri equum æstimatum 40. scutis, injuste per

per injuriam combusserit alterius domum æstimatam centum scutis, debet totidem ei restituere, etiamsi nullum pactum cum ipso inierit, quia rem ablatam reddere, damnum injuste illatum resarcire cogitur; *Communis (verb. Restitutio).*

52 *Justitia distributiva, & commutativa variè differunt, præcipue vero in tribus, scilicet in æqualitate, in æquitate, & in debito. In æqualitate differunt, quia Justitia commutativa servat æqualitatem simpliciter, & arithmetica, id est rei ad rem, ut centum ad centum sine ullo habito respectu ad personas: Justitia vero distributiva servat solum æqualitatem secundum quid, & geometricam, id est solum æqualitatem inter proportionem, & proportionem, ut nimirum talis sit proportio inter bona, & onera, quæ distribuuntur, qualis est proportio inter conditiones, & qualitates personarum, quibus fit distributio. In æquitate differunt, quia justitia commutativa proprie, & totaliter est ad alterum, sive ad personam adequatæ, & totaliter distinctam: Justitia vero distributiva non est omnino ad alterum, seu ad personam adequatæ, & totaliter distinctam, sed est totius reipublicæ, seu communitatis ad partem, seu membrum illius; pars autem non adequatæ, & omnino distinguitur à toto, sed in toto includitur. In debito differunt, quia justitia distributiva non continet proprie, ac strictè debitum, sicuti justitia commutativa. Nam ille, cui ex emptione verbi gratia vel donatione res debetur, longe majus, arctius jus habet ad illam, tamquam sibi jure proprio debitam petendam, quam ad petendam partem boni communitatis, v. gr. officium, dignitatem, beneficium &c. longæque gravior committitur injuria contra Justitiam commutativam, quam contra justitiam distributivam. Sola enim justitia commutativa, si violetur, proprie, & per se inducit obligationem restitutionis; Justitia autem distributiva non inducit obligationem restitutionis ratione sui erga partem neglectam, sed ratione Justitiæ commutativæ, si ei sit adjuncta, & solum aliquando per accidens erga ipsam communitatem, ut si Princeps contulit officium indignum cum detrimento reipublicæ, tenebitur ad compensationem damnorum &c. Cardinal. de Lugo de Justitia, & jure tom. 1. disp. 1. section. 3. à num. 51. ubi testatur de communi, Lossius lib. 2. c. 1. n. ult. & cap. 32. dub. 3. Rebellus lib. 1. q. 3. n. 18. Sporer tom. 2. tract. 4. prælim. ad præcept. secundæ tabule c. 1. sect. 3. num. 37. & alii passim.*

54 Non potest inter Deum, & hominem intercedere justitia rigorosa, & stricta, sed solum Justitia latius sumpta; *Communis.* Justitia enim rigorosa, & stricta requirit ex parte debitoris perfectum debitum solvendi: implicat autem, ut sit in Deo perfectum debitum solvendi respectu Creaturæ, & in Creatura perfectum Jus exigendi respectu Dei, adeoque &c. Latius vero sumpta justitia potest intercedere inter Deum, & hominem, quia si Justitia sumatur præcise pro obligatione adimplendi promissæ, potest Deus ex Justitia aliquantulum teneri Creaturæ, ut ex tali Justitia debet Justis coronam gloriæ; juxta illud Apostoli 2. ad Timoth. 4. In reliquo reposita est mihi corona Justitiæ, quam reddes mihi Dominus in illa die Justus Judex. Hinc S. Augustinus de tali Justitiæ debito loquens in Psalm. 38. circa finem dicit: Debitorem Dominus ipse facit te, non accipiendū, sed promittendū; & serm. 16. de verbis Apostoli cap. 2. quasi Deo recordans talis Justitiæ debitum, sic ipsum alloquitur: Redde quod promissisti, quia fecimus, quod justisti.

55 Inter patrem, & filium, dominum, & mancipium, maritum, & uxorem formaliter qua tales sunt, non potest esse justitia proprie, & simpliciter, sed solum improprie, & secundum quid; *Communis.* Et ratio est, quia justitia perfecta debet esse ad alterum, qui scilicet natura, & jure sit ab altero distinctus; Filius autem, mancipium, seu servus, & uxor quatenus tales sint, non sunt natura, & jure à patre, domino, & marito distincti, adeoque &c. filius namque ut talis est quasi pars patris, & natura, quippe ex paterno semine natus. Unde ea, quæ debet filius patri, non debet ut distinctus ab ipso, sed ut ejus pars: & ea, quæ pater debet filio,

non debet alteri, sed ut sibi ipsi, seu ut suæ parti. Sic servus non censetur alter à domino, cum non sit sui juris, sed domini, ipsiusque instrumentum animatum ad opera domestica, & quiddam ex ejus bonis, adeo ut possit illum, ut rem suam vendere, donare, commutare. Ita enim uxor est aliquid mariti, & è contra, cum sint moraliter unum corpus, & una caro, & sic non censetur distincti in ordine ad regimen domesticum, cum jus uxoris ad illud sit jus viri, seu dependens à viro, adeoque inter ipsos non potest esse justitia proprie, & simpliciter, sed solum improprie, & secundum quid.

Inter supradictos autem materialiter sumptos, ac quatenus homines sunt, & singuli peculiare jus, vel dominium habent, potest esse justitia proprie, & simpliciter; *Communis.* Et ratio est, quia supradicti materialiter sumpti, quatenus homines sunt, sunt sui juris, & ad invicem independentes in multis rebus, nec accipitur unus, ut pars alterius; sed quilibet, ut persona singularis, & capax ex bonis sibi propriis ineundi contractus. Filius namque non solum jam emancipatus, tamquam verus dominus omnium bonorum suorum, sed etiam minoris adhuc sub patria potestate constitutus, tamquam verus dominus suorum bonorum castrensiū, vel quasi castrensiū, potest cum eodem sub patre inire veros contractus emptionis, vel venditionis, vel alios ea justitia obligantes, juxta l. 2. ff. De emptione. Sic mancipium, seu servus, tamquam verus dominus proprii peculii potest medio ipso inire cum domino contractum redemptionis, ita ut dominus peccaret contra justitiam, si eo pacto inito, acceptaque pecunia, servum non manumitteret. Ita etiam uxor, tamquam vera domina bonorum suorum paraphernalium potest de ipsis cum marito inire contractus ex justitia obligantes. Tum quia etiam quoad debitum conjugale, & dotis legitimam administrationem, est inter uxorem, & maritum jus stricti æqualitatis; adeoque justitia simpliciter, cum negatio debiti, & dotis dissipatio sint proprie contra justitiam, ut tenent omnes. Tum etiam quia singuli omnium supradictorum habent sibi proprium, & strictum jus famæ, & vitæ; unde universaliter delicta inter patrem, & filium, servum, & dominum, uxorem, & maritum, ut homicidium, injusta infamatio, furta de bonis non subjectis, sunt vere contra justitiam simpliciter, immo sunt delicta contra justitiam qualificata, adeoque inter ipsos materialiter sumptos, quatenus homines sunt, potest esse justitia proprie, & simpliciter.

Justitia præmiativa, quæ pro meritis reddit præmia, & vindicativa sui punitiva, quæ delictis reddit supplicia, utraque reducitur saltem per imitationem, & similitudinem ad justitiam tam distributivam, quam commutativam, ut patet inductione; tunc enim justitia præmiativa reducitur ad distributivam, quando munera, officia, honores, & hujusmodi in præmium propriorum meritorum, & beneficiorum præstitorum distribuitur, inæqualiter tamen juxta inæqualitatem, ac proportionem status, & conditionis, dando scilicet plus personis dignioribus, & præstantioribus, quam minus dignis, & minus præstantibus, ut communitur fieri solet. Tunc autem justitia præmiativa reducitur ad commutativam, quando præmia distribuit æqualiter juxta æqualitatem meritorum, nulla habita ratione conditionis, dignitatis, & status personarum, quibus fit illa distributio. Ita etiam tunc justitia vindicativa, seu punitiva reducitur ad distributivam, quando nocentes, ut par est, punit, habita tamen ratione dignitatis, seu status personarum; sic alapa data v. gr. à persona potente, & magnæ dignitatis lævius punitur, quam data à persona infimæ plebis, quamvis sit data eidem persone; tunc enim justitia punitiva, seu vindicativa reducitur ad commutativam, quoad servat æqualitatem inter poenam, & delictum, æqualia inferendo supplicia pro æqualibus delictis, nulla habita ratione conditionis, dignitatis, & status personarum, quibus supplicia inferuntur: *Mastrius in 3. disp. 7. n. 177. Reiffensuel theol. mor. tr. 6. de just. & jure dist. 2. q. 2. n. 19. post Schotum in 4. dist. 46. quest. unio. §. Hoc primo, & plures alios.*

\*Adversus jus divinum non præscribitur: Bene-  
dict. XIV. tom. 2. const. 3. incip. Declarasti Nobis: Nec ad-  
ver-

versus Jus ecclesiasticum in his, quæ præcepta sunt universalis Ecclesiæ; Idem *ibid.*\*

Vide, quæ paulo inferius, & fortassis opportunius, dicemus in additione ad *verbum Lex art. 1. ff. (Ad omnia vid. verb. Appellatio, Bannitus, Bona ecclesiastica, Forum, & Leg. in add. his. & novis. Vid. etiam tit. 1. p. 3. ubi de justitia tractatur: quid sit, & qualis: ex ea quæ commoda & utilitates proveniant: quæ ejus præcepta, honeste vivere, alterum non ledere, suum cuique tribuere.)*

## JUS PATRONATUS.

### ARTICULUS I.

Jus patronatus quoad ea, quæ concernunt ejus naturam, divisionem, & acquisitionem.

### SUMMARIUM.

- 1 *PATRONI, & jus patronus nomen variè accipitur: quid hic sit: divisio ejus prima, & qualis, cæteræ divisiones, & subdivisiones: etiam dividitur in ecclesiasticum, laicale, & mixtum, ad num. 12.*
- 13 *Horum distinctiones sequuntur: quibus modis utrumque jus patronatus probetur; quod discrimen inter jus patronatus in tota ecclesia, & in aliquo altari constructo, ad num. 29.*
- 30 *Alii modi idem jus acquirendi numerantur; scilicet privilegio, & præscriptione: quæ specialia in utroque; ad num. 41.*
- 42 *Additiones subnectantur, ad num. 58.*

**NOMEN Patroni, & jus patronatus in Jure variè, præsertim tripliciter accipitur. Primo Patronus accipitur pro Advocato & jus patronatus pro jure Advocatiæ, unde Patroni dicuntur, qui aliorum causas in judicio defendunt, eisque patrocinantur, de quibus fit mentio in l. Rem. 14. §. Patroni Cod. de Judiciis, in c. Observandum 1. caus. 15. quest. 2. & in cap. Ex literis 6. De transactionibus. (Vide verb. Advocatus.) Secundo Patronus accipitur pro illo, qui manumittit, seu liberum dimittit servum suum, & jus, quod pro beneficio manumissionis acquirit in personam manumissi, seu Liberti, *jus patronatus* vocatur, & de hoc extat integer Titulus in ff. De jure patronatus, & Cod. De bonis liberti. & jure patronatus. Tertio Patronus accipitur pro eo, qui habet jus, seu potestatem à sacris canonibus concessam præsentandi aliquid ad ecclesiam, vel ecclesiasticum beneficium, & tale jus, seu potestas vocatur *jus patronatus*. Et solum de jure patronatus hoc tertio modo sumpto habebitur sermo.**

Unde jus patronatus tertio modo sumptum definitur quod sit: *jus seu potestas nominandi, sive presentandi Clericum promovendum ad beneficium ecclesiasticum vacantem; Est in re Communis.* Seu jus patronatus est *jus honorificum, onerosum, & utile* alicui competens in ecclesia, eo quod de Ordinarii consensu eam construxerit, fundaverit, vel daverit, aut id à suis antecessoribus factum fuerit: Ita Abbas in Rubr. De jure patronatus num. 3. Jo. Andr. *ibid.* num. 3. vers. Si jus igitur sine calumnia: Fagnan. lib. 3. Deer. in c. Quoniam 3. de jure patr. num. 31. Barb. lib. 3. Juris eccles. univers. cap. 12. num. 2. & alii apud ipsos. Dicitur autem *jus honorificum*, quia Patronus habet honorem, ut ad beneficium sui juris patronatus alius

non admittatur, seu in ipso instituat, quam ille, quem ipse præsentaverit. Superiori. Dicitur *onerosum*, quia Patronus teneatur defendere ecclesiam suam, ne ejus bona depereant, eamque, cum opus fuerit, reparare, atque impensis necessariis regere, cap. Filiis 31. caus. 16. q. 7. cum similibus. Dicitur *utile*, quia, si Patronus videretur ad inopiam, ecclesia teneatur eum potius alere, ac juvare, quam ceteros alios pauperes ex redditibus, qui detractis necessariis expensis supersunt, c. Quicumque 3. caus. 16. quest. 7. cap. Nobis 25. De jure patronatus cum similibus.

Jus patronatus dividitur primo in *hereditarium, gentilitium, seu familiare, & mixtum; Communis.* Hereditarium est illud, quod transit ad quoscumque hæredes etiam extraneos, arg. cap. Quoniam 3. De jure patronatus; Sic *Communis* cum Rota recent. part. 5. tom. 1. dec. 175. num. 3. & seq. part. 7. dec. 72. num. 1. part. 10. dec. 193. num. 20. Barb. l. c. num. 5. Covarr. lib. 2. varior. resol. c. 18. num. 6. *Gentilitium, seu familiare* est illud, quod competit, & relicum est solum illis de tali familia, vel in quo vocantur solum illi, qui sunt de genere; *Communis* cum Rota recent. part. 3. dec. 281. num. 5. p. 11. dec. 220. num. 4. 5. 7. 8. 9. part. 14. dec. 462. num. 1. & sæpe alibi: Barb. l. c. num. 22. Ricc. tr. de jur. patr. resol. 232. num. 1. *Mixtum ex hereditario, & gentilitio* est illud, quod competit, & relicum est solum illis, qui sunt & hæredes, & de tali familia; *Communis* cum Rota recent. part. 6. dec. 257. num. 6. part. 7. dec. 208. num. 1. part. 9. tom. 1. dec. 185. num. 7. part. 11. dec. 254. num. 16. part. 19. tom. 1. dec. 223. num. 26. & sæpe alibi.

Jus patronatus esse gentilitium probatur, & constat ex pluribus; *Primo* ex fundatione, in qua fundator illud relinquunt descendentibus, & successoribus de sua agnatione, familia, seu domo; Rota recent. part. 1. dec. 482. num. 1. part. 3. dec. 581. num. 4. part. 14. dec. 462. num. 1. & sæpe alibi. *Secundo* ex presentationibus factis à solis masculis, exclusis feminis, & extraneis, donec dicti masculi extiterint, Rota recent. part. 12. dec. 204. num. 13. part. 13. dec. 103. num. 10. part. 14. dec. 515. num. 15. part. 19. tom. 2. dec. 662. num. 17. *Item* quando in omnibus presentationibus semper facta mentio familie, seu domus, non autem qualitatis hereditariæ; Rota part. 4. tom. 1. dec. 287. n. 12. part. 12. dec. 204. num. 5. part. 13. dec. 237. num. 8. part. 14. dec. 515. num. 9. & 10. *Item* ex presentatione à patre, & filiis simul facta, Rota part. 4. tom. 1. dec. 287. num. 7. part. 5. tom. 1. dec. 385. num. 3. part. 6. dec. 166. num. 14. part. 13. dec. 103. num. 7. part. 14. dec. 515. num. 9. *Tertio* probatur gentilitium ex ultimo statu; Rota part. 12. dec. 204. num. 17. Qui ultimus status ob lapsum 40. annorum sufficit ad probandum jus patronatus gentilitium; Rota part. 13. dec. 237. num. 18. part. 14. dec. 515. num. 38. *Quarto* probatur gentilitium ex sententia Ordinarii declarante illud esse de aliqua familia; Rota part. 1. dec. 482. n. 5. part. 19. tom. 1. dec. 192. num. 7. *Quinto* probatur gentilitium ex enunciativis, seu assertionibus antiquis dicentibus v. gr. ad illos de tali modo, & familia spectare. Rota part. 18. tom. 3. dec. 679. num. 4. part. 19. tom. 2. dec. 662. num. 5. *Sexto* probatur gentilitium ex inscriptionibus antiquis in ecclesia factis, vel etiam in campanili existentibus; Rota part. 14. dec. 515. num. 12. part. 18. tom. 2. dec. 679. num. 7. *Item* ex sepulchro constructo, & ex insignibus familie insculptis, tam in pavimento, quam in pariete capellæ; Rota part. 19. tom. 2. dec. 630. num. 31.

Jus

Cum jus patronatus, præcipue activum in quacumque materia, majoratum regulis debeat metiri, perpetuæ representationis jure talis æstimetur successio (1) & quælibet familia triplici ex genere personarum constare valeat, masculorum scilicet *agnatorum, cognatorum, & femininarum*; sique variæ majoratum species à

(1) *L. fin. tit. 7. lib. 5. Ibi:* Mandamos que en la sucesion de los mayorazgos, vinculos, patronatos, y aniversarios, que de aqui adelante se hicieren, asi por ascendientes, como por transversales, y extranos, se guar-

de lo dispuesto en las dichas Leyes de Partida, y Toro, y se suceda por representacion de los descendientes à los ascendientes::

Auß.